

## IN MEMORIAM

# PAULUS KNEZOVIĆ

(26. Mai 1949 – 2. Decembris 2019)

*Multa viri virtus* (Verg. Aen. IV, 3)

A. d. IV Nonas Decembres anno MMXIX eximius litterarum professor Paulus Knezović septuagesimum primum annum agens a rebus humanis exemptus est. Quo quidem tristi nuntio quasi Iovis fulmine perculsi omnes sumus contristati, vel magis quod haud parva eius erga litteras beneficia neveramus vinculoque sincerae amicitiae eramus copulati. Paulus Knezović studiis Croaticae Latinitatis in facultate Studiorum Croaticorum fundamenta iecit ibique integrum decennium quoad tempus pensionis attigit, professoris munere fungebatur et praecipue *Linguam Latinam, Litteras Christianas, Latinitatem renatarum artium, Litteras Latinas et Vulgatam* docebat.

Natus est a. d. VII Kalendas Iunias anno MCMXLIX in Bosniae et Hercegovinae vico Crnopod haud procul a Ljubuški. Studia litterarum classicarum simul ac archaeologiae in Universitate studiorum Scopiensi (Res Publica Septemtrionalis Macedonia) anno MCMLXXV perfecit. Deinde thesim cum magistri scientiae tum etiam doctoris scientiae, quae de auctoritate Vergilii in poesim poetarum Rhagasinorum saeculi XVIII et XIX apud Universitatem Zagrabensem defensit. Posthac in Universitate Sarajevo munere assistentis universitarii functus est professori Desiderio Puratić unde, cum stipendium Gubernaculi Rei Publicae Italiae meruisset, Romam se contulit ibique in *Congregatione pro propaganda fide*, bibliothecis et archivis opera Croatarum qui Latine scripserant quaesivit. Linguam Latinam primo in schola medii ordinis obstetricibus destinata ab anno MCMXCI usque ad MCMXCIII, deinde in Archiepiscopali classico gymnasio Zagrabiae ab MCMXCIII ad MCMXCVIII docebat. Cum in Croatico instituto historiae comprehendae socius esset, praeflarum opus *Fastorum litterario-Ragasinorum* Sebastiani Dolci edendum curavit. Insuper in Universitate Iadertina necnon Mostariensi, quam in deliciis habebat cuique hanc ob causam privatam suam bibliothecam reliquit, litteras Latinas summo cum emolumento profitebatur. Viginti quinque ferme annos in Facultate studiorum Croaticorum professoris munus exercebat et plures praefectus cathedrae Latinitatis Croaticae creatus est.

Insuper plurimis consiliis de Latinis litteris tractantibus regebat iisque potissimum ad Franciscanos Latinos auctores pertinentibus. Eius studium vestigia Vergilii in operibus Croatarum qui Latine scripserunt vel maxime excitabant, tum etiam nonnihil operae in bibliothecas Franciscanorum conventuum investigandas conlocavit. Immensum fructum ex his studiis in lucem prodiit, multa scilicet

## IN MEMORIAM

symposia nomine *Tranquilli cultores* (vulgo *Tihи pregaoci*) quae hactenus sedecim libris continentur. Hoc etiam est cur eum admireremur quia plurimis iunioribus magistris fulcrum quasi praebuerit ut radices certius in litteris agant stimulosque adiverit ut Latinas Croatiae litteras, oblivione et pulvere opertas, neglectas, squalentes, eius industriam et humilitatem imitantur investigant et colant.

Paulus Knezović particeps fuit *Philologorum classicorum societatis Croaticae Societasque amatorum antiquitatis Bosniae et Hercegovinae*. Plus quam CXX symbolas, immensas insuper traductiones scripsit ac edidit. Peculiares eius libri sunt: *Li La disco et Vestibulum linguae Latinae* (libri scholastici), *Čerigajski andeo* (cum Simone Demo), *Blago knjižnice Kačićeva samostana u Zaostrogu* (cum Simone Jurić), *Documenta historiam Croaticam spectantia* (cum Desiderio Trkanjec), *Grammatica Latino-Ilyrica* Laurentii Šitović (cum Simone Demo), *Izabrana djela Stjepana Margitića*.

Immensem gratiam habemus quod nobis reliquit exemplum verae industriae, humilitatis et humanitatis. Memoriam eius semper coleamus et posteritati trademus.

*Nec solet ingeniis summa nocere dies.* (Ovid. *Pont.* IV, 16)

*Petar Ušković Croata*